

vivere et beate, vivus et beatus ero: si nolueris, non ero. Quis igitur in tali statu positus Deo reluctari audeat, plenissimam potestatem in omnes habenti? Cum Antiochus Epiphanes consideret Alexandriam, sub Romanorum tutela nunc temporis constitutam, missus ad eum a senatu est Popilius Lænas, senator Romanus qui juberet obsidionem solvere. Cui respondit Antiochus, rem hanc maturius se deliberaturum ac responsum daturum. Quid ad hoc Popilius? Virga, quam gerebat, vitrea lineam circum Antiochum duxit, inquit: *Hocne in dubium revocandum est, an hostis Romanorum esse velis? Non præteribis hanc lineam, donec id defnias.* Territus hac voce Antiochus, rex alioquin potens: *Parebo*, inquit, et ab Alexandria discessit, Plutarchus in apoth. Cogita et tu quicumque es, an Dei mandato opponere te velis, cui: *Data est omnis potestas in cælo et in terra?* Pare igitur et subditus esto potentissimo, cui omnis anima subjecta esse debet: *Sicut enim corona soli regi competit, sic propria voluntas soli Deo*, inquit Divus Anselmus, libro VIII. de similitud. capite VIII. Tuam igitur voluntatem per omnia conforma cum voluntate Christi. Dic cum Sancto Job, cap. VI. *Hæc mihi sit consolatio, ut non contradicam sermonibus sancti: dic cum Heli sacerdote: Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat, 1. Reg. III. dic cum Juda Macchabæo: Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat, 1. Macch. III.*

Hæc videntur esse, quæ nobis Rex noster cælestis requirit, munera si non omnia, saltem potissima. Neque enim aurum vel argentum desiderat ab hominibus, qui talia ipsis donat, et pro nihilo habet; sed fidem, spem, charitatem, honorem, timorem, subjectionem. Viderint ergo illi, qui hæc ipsi subtrahunt, cum nemo non habere in promptu, et sine damno suo præstare queat. Audient enim et isti, quemadmodum et illi, qui spreverunt Saulum, filii Belial, hoc est, *caleges*, vel ut Septuaginta vertunt *filii pestilentes*, velut Chaldæus habet *filii improbitatis* et rapiuntur suo tempore ad gladium et interneconem.

Nos vero, auditores, ne his dicamus cum Jacob patriarcha: *In consilium eorum non veniat anima mea, et in cætu illorum non sit gloria mea. Maledictus furor eorum, qui pertinax, et indignatio eorum, quia dura*, Genesis XLIX. Dicamus e contra Domino nostro, quod olim Hebræi Gedeoni: *Dominare nostri, quia liberasti nos*, Jud. VIII. versu XXII. quod Amasai Davidi: *Tuisumus, et tecum filii Isai. Pax tibi, pax tibi: et pax adjutoribus tuis*, 1. Paralip. XII. versu XVIII. Ipsum denique omnibus votis et studiis amplectamur, et cum cœlitibus illis procidamus ante eum, et adoremus viventem in sæcula sæculo-

rum, et mittamus coronas nostras ante thronum ejus, dicamusque: *Dignus es Domine Deus nos- ter accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erunt, Apocalypsis IV. et iterum: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et benedictionem, etc. Apoc. VI.*

CONCIO V.

QUID AGENDUM UT CHRISTUS SIT NOBISCUM.

- I. De absentia ejus contristemur cum Magdalena. —
- II. Doceamus ignorantes, cum mulieribus tribus sanctis. —
- III. Defleamus peccata nostra cum Petro. —
- IV. Simus hospitales et liberales erga pauperes, et digne communicemus cum duobus euntibus in Emmaus. —
- V. Simus unanimes et concordēs cum decem apostolis. —
- VI. Congregemur in festivis diebus ad rem divinam ut apostoli cum Thoma. —
- VII. Bona intentione etiam temporalia curemus cum discipulis piscatoribus. —
- VIII. Magno desiderio venturum expectemus cum iisdem in monte Galilææ Christum expectantibus. —
- IX. Agamus omnia ad gloriam ejus, sicut undecim recumbentes. —
- X. Servemus Dei mandata cum euntibus in Bethaniam.

THEMA.

*Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. XXVIII.*

Incomparabile donum promisit in hodierno evangelio, et reliquit Ecclesiæ suæ Christus mox in cœlum abiturus, cum singularem ei protectionem adeoque suimet præsentiam promisit ac reliquit. Quid enim illi deesse potest, cui Deus adest? Quis illi nocere, quem Deus protegit? *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* inquit David, Ps. XXVI. Præclare etiam Sanctus Felix presbyter Nolanus, cum inter angustas duorum parietum, telæ, quam aranea ex tempore contexerat, obductu ab insidiis gentilium defensu fuisset, dixisse fertur: *Præsente Christo telæ aranæ fit murus: absente Christo murus fit aranæ telæ*, uti S. Paulinus de S. Felice episcopo Nolano scribit. Prius id deprehensum in sancto, ut dixi, Felice; posterius hoc in C. Plotio, cive Romano, qui latens in regione Salernitana, cum ne tortis quidem prius servis indagari posset, ubi lateret, solo odore deprehensus est, uti refert Aldrov. lib. V. de insectis. Hinc igitur Hebræi, cum salutari aliquem bene ipsi precari vellent, id solum dicebant: *Dominus tecum*, vel si plures essent obvii: *Dominus vobiscum*. Ita Booz messoribus suis salutem dicens: *Dominus vobiscum*, inquit Itulh II. et angelus Domini Gedeoni: *Dominus tecum, virorum fortissime*, Judicum VI, similiter arebas

gelus Virgini Mariæ: *Ave gratia plena, Dominus tecum*, Luc. I. Jam vero quando: *Usque ad consummationem sæculi cum apostolis se manere promisit, ostendit usque ad consummationem sæculi non defuturos electos, cum quibus ipse manere dignatur*, inquit Haymo episcopus Halberstadiensis in hodierno evangelio. At quinam illi electi, hac Christi præsentia et singulari protectione dotati? Multi enim ita vivunt, ut hac Christi præsentia destitutos non immerito judicemus. Quæramus igitur, si possumus, illos, qui indicium præbent singularis illius protectionis. Venerabilis Angliæ apostolus, Beda, in homilia super hodiernum evangelium scribens conjecturas hujus Christi præsentia et paternæ protectionis colligit ab illis, quibus apparuit Christus post resurrectionem suam, decem distinctis vicibus. « Decies, inquit, visum post resurrectionem Dominum, evangeliorum nobis et actuum apostolorum prodit historia, ubi ipso resurrectionis suæ die quinquies apparuisse legitur. Primo quidem, Mariæ Magdalene flenti ad monumentum: deinde, idem Mariæ et alteri ejusdem nominis femine, regredientibus a monumento nuntiare discipulis, quæ ibi compererant, occurrens apparuit: tertio, Simoni Petro: quarto, Cleopha et socio ejus, cum quibus ipse gradiens in Emmaus, ibidem in panis fractione cognitus est: quinto, apparuit eis januis clausis, ubi non erat Thomas: sexto, post dies octo, quando erat cum eis et Thomas: septimo, piscantibus ad mare Tiberiadis: octavo, in monte Galilææ, quod in hodierna lectione audivimus: nono, recumbentibus illis undecim: decimo, viderunt eum ipsa die non jam in terra positum, sed elevatum in aera, cœlosque petentem. Hæc ergo frequentia corporalis suæ manifestationis ostendere voluit Dominus, ut diximus, in omni loco se honorum desiderii divinitus esse præsentem. » Ita ven. Beda. Jam singula videamus.

I. Apparuit ad monumentum lugentibus: *aderit et nobis absentia ejus recordatione salubriter contristatis*, inquit idem sanctus pater. Quando parvuli vagiunt, suo illo vagitu matres ad se advocant longe potentius, quam si vocibus accerserent. Poterunt ergo lacrymæ piorum Deum quoque ad se quodammodo evocare; ipse enim per Isaiam, c. LXVI. ait: *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor eos*. Confirmat Sanctus Laurentius Justinianus, in ligno vitæ, de oratione, cap. IX. *O lacryma! Vincis invincibilem*, inquit, *ligas Omnipotentem, inclinas Filium virginis, aperis cœlum, fugas diabolum*. Certe Magdalena suis lacrymis, dum fieret ad sepulcrum attraxit ad se Christum, ut se presentem sisteret, et lacrymas ejus abstergeret manifestatione sua. Quinetiam Agar ancillæ ejusque

fili Ismaelis lacrymis evocatum e cælo angelum ad eos consolandos legimus, Gen. XXI Danieli quoque cum luxisset tribus septimanis pro salute populi, apparuit angelus de cælo et solatus est eum, Dan. X. Denique, per hanc viam populus Hebræorum retraxit ad se fugientem et abalienatum a se Deum, Exodi XXXIII. Cum enim audisset sibi dicentem: *Non ascendam tecum* (in terram promissionis) *quia populus dura cervicis est. audiens populus sermonem hunc pessimum luxit: et nullus ex more indutus est cultu suo: ad indicandum luctum suum*. Quo facto præcatus est Deum Moyses: *Respice populum, gentem hanc, statimque placatus Dominus reddidit se Israeli, et: Facies in ea præcelet te*, inquit, *d requiem dabo tibi*, h. e. ego ipse præcedam te ut mea nixus præsentia et ope securus quiescas, et ad terram promissam pervenias, ut ibi explicat Corn. a Lap.

II. « Occurrit revertentibus a monumento (mulieribus) ut agnita resurrectionis gaudia prædicarent, adierit et nobis, dum bona, quæ novimus, proximis fideliter annuntiare gaudeamus, inquit Beda, loco cit. Gratissimum Deo opus est evangelium prædicare, et quæ salutis sunt, ignorantes docere, errantes reducere et peccantes corrigere, habet tamen annexam non parvam difficultatem: itaque præsentiam et assistentiam Dei necessariam habet et meretur. Hæc enim de causa Dominus, cum in hodierno evangelio misisset ad prædicandum apostolos, dicens: *Euntes docete omnes gentes, etc.* mox addit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, quasi dicat: *Cum sicut oves*, inquit Divus Prosper, libro II. de vocat. gent. c. II. *introieritis in medium luporum, nolite de vestra infirmitate trepidare, o discipuli, sed de mea potestate confidite, qui vos usque ad consummationem sæculi in hoc opere non derelinquam*. Simili promissione animarat in veter. test. Jeremiam missum ad prædicandum et arguendum improbos: *Quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum*, Jeremiæ I. Sensit etiam hanc Christi assistentiam Sanctus Rhemigijs, quando Clodovæum Franciæ regem adhuc gentilem cum aulicis christiana catechēsi imbuit. Dum enim verba salutis dare cum magna pietatis significatione exorsus est, repente lux copiosa totam replevit ecclesiam, et e luce vox intonuit: *Pax vobis, ego sum, nolite timere, manet in dilectione mea*, in vita Sancti Rhemigii, 1. octob. Lipel. Denique, hoc ipsum in veteri lege promiserat Deus sacerdotibus et principibus familiarum, qui erudierunt in lege populum ignorantem; ait enim: *Confortamini et agite diligenter, et erit Dominus vobiscum in bonis*, II. Paral. XIX. versu XI.

III. Apparuit Petro lapsū suum amare deploro-

ram. et ad requirendum Dominum hac illae discurrenti, anxio et sollicito. Aderit et nobis, si peccata nostra defleamus, et Christum requiramus. Ploratus et luctus iste adeo Christo placet, ut se mox presentem poenitenti sistat. Ita testatur S. Gregorius Nyssenus, in oratione ad eos, qui alios iurius iudicant: « Lacrymarum, inquit, effusio lavaeri vim habet, gemitusque reducit gratiam, quæ paulisper recesserat. Si orationi nostræ fidem non habes, Petrum in ædibus principum interroga, et dicet tibi, quomodo abnegationis peccatum amare lugens expiaverit, nec in Simonem mutatus sit, sed Petrus permanserit apostolus. » Sic ille. Itaque Petrus amarissimis suis lacrymis quibus lapsum suum, et absentiam Christi Domini sui deflevit, obtinuit, ut Christus præ cæteris discipulis ipsi appareret, et gratiam ac benevolentiam suam per Magdalenam speciatim denuntiaret. Sin nimirum prodigus ille filius, ubi ductus poenitentia rediit ad paternum sinum, sua resipiscencia et verecundia patrem e domo excivit in occursum et amplexum suum, Lucæ XV. Prodigus Christi filius factus erat Petrus quando in domo Caphæ perfide negando et loquendo cum ancillis perdidit portionem substantiæ suæ, quæ alia non erat nisi Jesus, et quam perdere timuerat, cum audiret: *Non habebis partem mecum.* Videns ergo paupertatem suam, flevit amare, et postea cum Joanne surgit et currit ad sepulcrum, requirens Patrem, quem deseruerat. Et en præcæteris discipulis apparet ei Dominus, et ruit in collum ejus, suam offerens gratiam. Quis non arbitraretur, vultum paternum Petro negandum, qui patrem negarat? Quis non saltem objugandum aut torve aspiciendum? Nihil horum actum, sed ne mentione quidem, commissi erroris facta recipit Dominus Petrum in pristinam benevolentiam, ac velut pater prodigi induit stola prima gratiæ primæ; ornat deinde annulo, desponsando ei Ecclesiam suam, cum ait: *Pasce oves meas:* addit calceamenta, cum incitat et animat ad sequendum se per mortem crucis; denique, ad prandium adhibet, e pane et pisece divinitus præparatum, una cum cæteris discipulis. Proh quanta vis poenitentiae! Quam potenter attrahit Deum, tametsi prius expulsus et indignissime desertum! Hoc nimirum est, quod per Jeremiam dixit Dominus exercituum: *Bonas facite vias vestras, et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto,* Jerem. VII. h. e. corrigite mores, et poenitentiam agite, sic iterum ero vobiscum.

IV. « Apparuit in fractione panis his, qui se peregrinum esse putantes ad hospitium vocaverunt: aderit et nobis, cum peregrinis et pauperibus quæcumque possumus bona libenter

impedimus. Aderit et nobis in fractione panis, cum sacramenta corporis ejus videlicet panis vivi, casta ac simplici conscientia sumimus, » inquit Beda, ibidem. De hac posteriori præsentia dubitare non possumus, quia per fidem novimus Christum realiter et corporaliter nobis adesse in s. eucharistiæ sumptione, sive ad vitam, si digne; sive ad mortem, si indigne sumpserimus. De priori etiam vix dubitare possumus, cum habeamus Domini verbum: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis;* et sciamus non semel contigisse, ut qui pauperem ad mensam vel hospitium suscepit, Christum ipsum, habitu pauperis tectum, in persona susciperet, ut alibi diximus. Habemus ejusdem rei promissionem Isaïæ capite LVIII. *Frangite esurienti panem tuum, et egenos vagosque inducite in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne desperaveris: et gloria Domini colliget te* (Septuaginta legunt: *Circumdabit te.*) *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicit: Ecce adsum.* Quisquis ergo colligit egenos et vagos et inducit in domum suam, et ipse colligetur a Christo, et qui audit vocem pauperum, exaudietur a Deo. Certe duo illi non agnoverunt Dominum sibi præsentem, nisi postquam coegerunt, ut ad se diverteret: cum que illorum intentio esset, ut hospitem suum pascerent, potius ab eo pastus, et salutari cibo refecti sunt. Unde S. Gregorius papa, in homilia supra hodiernum evangelium, cum recensisset exemplum cujusdam patrisfamilias, qui inter alios peregrinos etiam Christum susceperat, sequenti nocte sibi dicentem: « Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti? » subjicit: « Ecce in judicium veniens dicet: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ecce ante judicium dum per membra sua suscipitur, susceptores suos etiam per semetipsum requirit; et tamen nos ad hospitalitatis gratiam pigri sumus. » Porro eadem occasione: « Apparuit in abdito de sua resurrectione loquentibus; ades et nobis, modo ejus dono idem agentibus. Aderit nobis semper cum ab externis operibus ad tempus vacantes, de ejus gratia locuturi convenimus, » ait Beda cit. et Eusebius Emisenus, in eundem locum: « Bonum est loqui de Jesu, bonum est semper in mente habere; quia nec ipse eorum obliviscitur, qui ejus memores sunt. » Plenius Haymo episcopus Halberstad. in eandem sentent. « Notandum, inquit, quia non de superfluis, non de vacuis, neque ea, quæ ad detractionem pertinent, neque risum moventia loquebantur, sed ad invicem de his omnibus quæ acciderant: scilicet qualiter conversatus esset innocens, et sine

querela in mundo, qualiter signa et miracula operatus sit, quomodo odiis Judæorum et calumniis traditus sit ad crucifigendum, qualiter se resurrecturum prædixerat, quod nondum videbant. Quia ergo hæc et hujusmodi de illo loquebantur, contigit, ut etiam illum, quem absentem putabant, corporaliter viderent, et in his etiam, ad litteram, suam promissionem Dominus adimpleret in quæ dicit: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum,* etc. Unde subditur: *Et factum est, dum fabularentur, et secum quærerent, et ipse Jesus appropinquabat cum illis.* » Sic ille.

V. *Apparuit cum, foribus clausis, intus Judæorum metu residerent.* Aderit et nobis, si unanimes fuerimus, et in sancta pace simul vixerimus; uti tunc apostoli et primi Christiani. Testem hujus rei habemus apostolum, qui II. Corinthiorum XIII. scribit: *Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.* Suavis harmonia trahit ad se homines, et viros principes, qui in aulis præstantissimos alunt, et undique conquirunt musicos. Nulla autem suavior harmonia est, quam pax christiana. « Si harmonia chordarum, inquit Origenes, homilia XXVI. in Numer. fuerit consonanter aptata, sonum suavem modulati carminis reddet; si vero sit aliqua in fidibus dissonantia ingratissonus sonus redditur et carminis dulcedo corrumpitur: ita et hi, qui Deo militant, si dissensiones et discordias inter se habeant, ingrata erunt omnia, et nihil acceptum Deo videbitur. » Discordia igitur fugat Deum; quod ex Numer. XII. capite discere possumus, ubi ex citata dissensione et murmuratione a sorore Moysis et fratre Aarone, nubes recessit a tabernaculo, et in nube Deus loquens iratus contra eos abiit. Discere possumus a domo Lauretana, in qua Christus educatus fuit. Hæc enim, orta inter fratres, in quorum agro sedem fixerat, discordia, mox recessit ab illo loco, ut ex Tursellino alibi audivimus. At vero pax et concordia, velut suavis harmonia, Deum quasi ad se trahit, et præsentem sistit cum sua benevolentia, uti experti sunt Christiani illi, qui Actorum IV. cum apostolis, unanimiter levaverunt vocem ad Deum orantes. Mox enim: *Motus est locus, in quo erant congregati, et repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Motus iste loci, quid nisi Dei præsentiam indicavit, suos protectentem? Castor et Pollux duo sidera conjuncta sunt, a duobus fratribus sic appellata, horum si uterque simul appareat, serenitatem; sin alteruter dumtaxat, tempestatem nuntiat, uti refert Corn. Actor. ult. vers. Simili modo Christiani si unanimes fuerint, Christum solum sibi præsentem; sin divisi, absentem experientur.

VI. *Apparuit post octo dies, cum in octava*

resurrectionis et dominica die rursus essent congregati apostoli una cum Thoma, nondum fidei, Joan. XX. Aderit et nobis, si in dominicis diebus fuerimus in templo ad rem divinam congregati. Testem adduco Sanctum Cyrillum episcopum Alexandrinum, qui in eum Joan. XX. locum scribens: « Jure igitur, inquit, sanctæ congregationes die octavo in ecclesiis fiunt, et foribus sublimiori modo clausis, visibiliter simul atque invisibiliter Christus omnibus apparet, invisibiliter quidem ut Deus, visibiliter autem in corpore. Præbet enim nobis carnem suam tangendam, ut firmiter credamus, quia templum vere suum suscitavit. Quod autem mysticæ benedictionis communio, resurrectionis Christi quædam confessio est, verbis ipsis probatur. Fractum enim panem distribuebat dicens: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum:* hoc facite in meam commemorationem. Participatio igitur mysterii vera quædam confessio et commemoratio est; quod propter nos et pro nobis Dominus mortuus sit, et resurrexerit, et divina nobis benedictione propter hoc replet. » Sic ille. Quisquis ergo Christum sibi præsentem desiderat, rei divinæ sedulus in templo assistat.

VII. « Apparuit piscantibus, eisquæ apparens divinis adjuvit beneficiis: aderit et nobis, cum necessaria vitæ temporalis recta intentione curamus; justisque nostris laboribus subsidium suæ pietatis adjungit, » inquit Beda, loco cit. Ergone etiam Christum possumus habere præsentem sua benedictione in servilibus operibus et quibuscumque laboribus etiam profanis pro victu institutis? Possumus omnino, et quidem duplici fructu. Quemadmodum enim apostolus in ea piscatione non solum piscium copiam insolitam ad imperium Domini ceperunt, sed etiam pisces jam recenter assatum cum pane ad littus invenerunt: ita qui cum Domino labores suos peragit, non modo temporalem obtinebit benedictionem, sed etiam æternam. Sed qua ratione? Sicut monuit Dominus, ad dextram mittat retia. Quænam dextera, nisi recta intentio? Quænam sinistra, nisi perversa? Ad dextram mittit retia, qui omnem suum laborem dirigit ad Dei gloriam et salutem animæ: ad sinistram vero, qui quærit gloriam suam et corporis commoditates. Nihil in sinistra prendere apostoli, licet tota nocte piscati essent; in dextera jussu Domini retia laxantes, cepere centum quinquaginta tres magnos pisces. Cur non plures, nec pauciores? Respondet Sanctus Hieronymus, in cap. XLVII. Ezechielis: « Aiunt, inquit, qui de animalium scripsere naturis, de quibus Oppianus Cilix est poeta doctissimus, centum et quinquaginta tria esse genera piscium,

quæ omnia capta sunt ab apostolis, et nihil remansit incaptum. Ergo sicut apostoli quasi omnia piscium genera eo tractu ceperunt: ita qui labores suos etiam indifferentes dirigit ad Dei gloriam, omnem benedictionem, temporalem et æternam sibi comparabit, et omnia sua opera reddet meritoria. Pisces illos apostoli quidem suo labore ceperunt; piscem vero assum et panem in littore Christus eis paravit. Pari modo si in omni actione sanctam habuerimus intentionem: et nobis victum in terra sufficientem comparabimus et in cælo segura statione portuque salutis parabit nobis Christus panem essentialis beatitudinis, cum pisce accidentalis: atque hoc sibi velle videtur, quod Amos, c. V. ait: *Quærite bonum et non malum, ut vivatis, et erit Dominus Deus vobiscum.*

VIII. Apparuit cum minorato eodem metu apertis eum gressibus in montis vertice quærerent, inquit Beda cit. scilicet in monte Galilææ, Matth. XXVIII. Præmoniti erant discipuli, ut irent in Galilæam, ubi absque timore Dominum viderent et cum eo agerent. Iverunt ergo illuc, et convenerunt cum illis in montem (putatur probabiliter fuisse Thabor) plusquam quinque centos fratres (teste apost. 1. Cor. XV. vers. VI.) quorum in Galilæa plurimos habebat. Ergo quia maximo videnti magistri et Domini sui desiderio illuc confluerunt, videre illum meruerunt, non soli, quibus promissum erat, apostoli, sed etiam alii quam plurimi. Aderit igitur et nobis Dominus, si magno desiderio eum quæramus, et venturum expectemus, ut illi expectarunt. Ita enim legimus etiam, II. Paralip. XV. § II. *Audite me Asa et omnis Juda et Benjamin: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, invenientis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Qui nullum in mundo voluit esse vacuum, non permittit etiam inane esse nostrum desiderium, quo desideramus ipsum quia: *Esurientes implevit bonis.* Quis enim serio eum quærit, et non tandem invenit? Abraham exultavit ut videret diem ejus: vidit et gavisus est: Zacchæus ascendit in arborem, ut videret eum, vidit et insuper in domum suscipere meruit, magno suo gaudio.

IX. Apparuit recumbentibus: aderit et nobis, cum juxta apostoli monitum: *Sive manducamus, sive bibimus, sive aliud quid agimus, omnia in gloriam Dei facimus;* ait Beda, uti supra. Sed de hoc dictum aliquid superius. Id porro ex hoc docemur adfuturum nobis Dominum etiam in

mensa, si inter edendum fuerimus Dei memores, et quemadmodum Tob. VII. dicitur: *Epulemur benedicentes Deum:* et ut, c. IX. *Si cum timore Domini convivium exerceamus.* Ita enim monemur, Ps. LVII. § IV. *Justi epulantur in conspectu Dei,* q. d. sicut eos decet, qui Deum sibi semper adesse considerat: non sicut illi: *Convivantes sine timore, semetipsos pascentes,* ut ait S. Judas, in sua epist. quales erant Balthasar et optimates ejus ex vasis sacris epulantes et bibentes, Dant. V. sed quales describit S. Ambrosius, in Malach. 1. § IX. tom. II. in fin. his verbis: *«Qui est utilis Christianus, semper debet Patri ac Domino suo laudes dicere, et in ejus gloriam omnia procurare, sicut ait B. apostolus, 1. Cor. X. dicens: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Videte quale veri Christiani apostolus voluit esse convivium, ut magis fides Christi, quam prandii sagina comedatur, et plus reficiat hominem Domini nominis frequens invocatio, quam epularum multiplex et copiosa collatio; meliusque pascatur esurientem religio, quam sagina.»*

X. «Novissime illis apparuit ascendens in cælum. Aderit et nobis, ut eum post mortem sequi mereamur ad cælos, si ante mortem eum in Bethaniam, unde ascendit, id est, in domum obedientiæ sequi curamus:» et mox: *«Venimus ibidem et nos, si quod ille monet, agimus quod promisit, intendimus.»* inquit Beda. Secura et certa est hæc veniendi ad Christum via, observatio mandatorum ejus. Audivimus enim ante octiduum Dominum dicentem: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

Vidimus qua ratione possimus obtinere, ut Dominum nobiscum habeamus. Hoc igitur jam agamus. Fuit aliquando Antiochia terræ motibus crebro conquassata, præsertim anno 528. quo in periculo remedium hoc civibus succurrit: *Unusquisque enim civium Christi nomen foribus inscribens, eo modo terræ motum distulit, cum Deus religioso cuidam homini oraculo hæc verba foribus inscribere præcepisset: Christus nobiscum, state, ita refert Nicephor. l. XVII. hist. c. III. Igitur et auditores inscribite cordibus vestris hæc, quæ audistis et didicistis ab apostolis et primis Christianis. Sic, ut spero, obtinebitis ut Christus vobiscum sit, et etiam nihil metuatis sed intrepidi stetis, hic in omni adversitate: et ibi in omni felicitate.*

## DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. LUCAE XIV.

In illo tempore, dixit Jesus Pharisæis parabolam hanc. Homo quidam fecit cenam magnam, et vocavit multos: et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam. Rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: Juga bovm emi quinque, et eo probare illa. Rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire. Et reversus servus, nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, et cæcos et claudos introduc huc. Et ait servus: Domine, factum est, ut imperasti, et adhuc locus est. Et ait Dominus servo: Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

### CONCIONES.

- I. S. eucharistia cœna magna.
- II. Facilia creditu ostenduntur circa eucharistiam, quæ hæreticis incredibilia videntur.
- III. Sacrificium missæ assertur.
- IV. De dignitate sacrificii missæ.
- V. Triplices excusatores in quadruplici cœna penitentiaria, evangelica, eucharistica, beatifica.
- VI. Varii modi compellendi homines ad salutem.
- VII. Tria tempora et tres modi, quibus tria hominum genera vocata sunt ad fidem.
- VIII. Quid retinent hæreticos, ne convertantur.
- IX. Documenta.
- X. Mystèria.

### CONCIONES AUCTARII.

- I. Adinventes Christi Domini in s. eucharistia institutione.
- II. Accessuros ad s. eucharistiam quales esse debent.
- III. Causæ processionis cum eucharistia.
- IV. Ad processionem corporis Christi vocantur cæci, claudi, debiles, pauperes.
- V. Pompa processionis, quæ fit in festo corporis Christi, explicatur.

### CONCIO I.

#### S. EUCHARISTIA COENA MAGNA.

- I. Ex institutore Christo. — II. Ex magno invitatorum numero. — III. Ex epulis selectissimis. — IV. Ex summa ejus necessitate. — V. Ex maxima utilitate. — VI. Ex maximo periculo.

#### THEMA.

Homo quidam fecit cenam magnam. Lucae XIV.

Non frustra sane Spiritus sanctus voluit describi, totque coloribus depingi magnum illud Assueri convivium, de quo legimus in lib. Esther, c. 1. Præfigurabat enim eucharistiam,

quam instituit Christus ante passionem suam, de qua canit Ecclesia: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur.* Recte enim per Assuerum, quem interpretantur principem vel caput, Christum intelligimus, qui princeps est regum terræ et caput omnium hominum. Susan vero civitas, in qua convivium exhibitum est, Ecclesiam designat; Susan enim *lilium* significat: de Ecclesia autem sponsus ait in Canticis, c. II. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Tabernacula porro, sub quibus plurimæ mensæ ad convivium instructæ, varios episcopatus, in quibus multæ parochiæ sunt, denotant. Quod vero in vestibulo horti regii convivium appa-